



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. D. Magistri Petri Lombardi Novariensis Episcopi
Parisiensis. Sententiarvm Libri IV. quibus vniuersæ
Theologiæ summa continetur**

Petrus <Lombardus>

Mogvntiæ, 1632

De intelligentia harum locutionum. Deus est homo, Deus factus est homo,
&c. tres sententias ponit. A

urn:nbn:de:hbz:466:1-38829

spicias, cum assumptum vel unitum, vel aliquem in huiusmodi locutionibus scriptura commemorat. Quocirca cum queritur sine proposita auctoritate, an aliquis vel quidam sit assumptus a verbo vel unitus verbo: sine distinctiōe intelligentiæ nō est hic reddenda responsio, quoniam multiplex premissa est questio, sed instantiam querentis ita determinato: Si de hominis persona queris, respondeo, non, si de hominis natura, dico, est.

DE INTELLIGENTIA HARVM LOCUTIONVM, Deus factus est homo, Deus est homo, an his locutionibus dicatur Deus factus esse aliquid, vel esse aliquid, vel non esse aliquid.

DISTINCT. VI.

A

EX præmissis autē emergit questio plurimum continens utilitatis, sed nimium difficultatis atque perplexitatis. Cum enim constet ex prædictis, & aliis pluribus testimoniis, omnesq; catholici vnanimiter fateantur Deum factū esse hominē, & Christum verum Deum esse, & verum hominē, queritur an his locutionibus, Deus factus est homo. Filius Dei factus est Filius hominis, Deus est Homo, & Homo est Deus, dicatur Deus factus esse aliquid, vel esse aliquid, vel aliquid dicatur esse Deus, & an ita cōueniat dici, Homo factus est Deus, & Filius hominis factus est filius Dei, sicut è conuerso dicitur. & si ex his locutionibus non dicitur Deus factus esse aliquid, vel esse aliquid, quæ sit intelligentia harum locutionum & similium. In huius profunditatis reueratione, & scrupulose quest. expositione plurimum differre inveniuntur sapientes.

Quorundam sententiam refert.

B

Alii enim dicunt, in ipsa verbi incarnatione hominē quēdam ex anima rationali & humana carne constitutum, ex quib. duobus omnis verus homo con-

De modo vniendi diuinam & humanā naturam secundum varias doctorum opiniones.